

nendam esse praxim et disciplinam Ecclesiae universalis circa poenitentiam canonicam a praxi et disciplina ecclesiarum particularium, ac proinde canones et decreta Ecclesiae universalis a canonibus et decretis alicujus episcopi vel concilii, vel ecclesiae particularis, et quidem ratione habita diversorum temporum. Haec enim simul omnia permisceri non debent, ut plures solent ea confundere, ut inde statuatur atque definiantur, *Ecclesiae veteris*, ut ipsi loquuntur, disciplinam ita se habuisse circa poenitentias canonicas. Nam si excipias concilium Nicaenum I quod tres canones edidit, quibus poenitentiae addixit solos apostatas a religione christiana, et lapsos in idololatriam, nullum aliud oecumenicum concilium canones poenitentiales condidit, et mira semper viguit in Ecclesia varietas, quod jam pridem animadverterat doctissimus Petavius (1).

V. Denique cum eodem eruditissimo Petavio (*ibid.* lib. II. cap. 8. § 16. 17) observo poenitentiam, qualis nunc viget, esse magis consonam temporibus apostolicis et primitivae Ecclesiae, quam fuerit illa, quae postea invaluit, atque a sanctis episcopis, disertis canonibus postea instituta est, majori aut minori adhibita severitate pro conditione temporum, et indole eorum, qui ejusmodi remediis indigebant.

Quae si praeculis habeantur, facile est querulosos illorum declamationibus occurrere, quibus suspirant ad auream et intemeratam Ecclesiae primae disciplina, quam adeo extollunt, ut eam deiciant, quae in praesentia obtinet. Haec enim ratione facilius ab utraque, vetere scilicet et recentiori disciplina feriati vivunt; a vetere quidem, quae in desuetudinem abiit, a recentiori quam ipsi contemnunt (2). Inter hos praecipue eminent Pistorienses, quorum propositio XXXVIII. proscripta est, quae ita se habet: *Item doctrina, quae postquam synodus professus est se non posse non admirari illam adeo venerabilem disciplinam antiquitatis, quae, ut ait, ad poenitentiam non ita facile, et forte nunquam eum admittit, qui post primum peccatum, et primam reconciliationem relapsus esset in culpam, per timorem perpetuae exclusionis a communione, et pace, etiam in articulo mortis magnum frænulum illis injectum iri, qui parum considerant malum peccati, et minus illud timent. Quam doctrinam quis non exhorrescat?*

CAPUT V.

DE MATERIA, FORMA ET MINISTRO SACRAMENTI POENITENTIAE.

Parcius nobis agendum erit de materia, cum nulla sit de ea cum novatoribus controversia. Aliquanto fusius disseremus de forma et ministro ob haereticorum errores et neotericorum falsa principia.

51. et seqq. ubi plura scitu digna inveniuntur circa poenitentias canonicas.

(1) *De poenit.* lib. II. cap. 8. § 4. et cap. 15.

(2) Apprime congruunt jansenistis quae Jo. Salisburien- sis scripsit de curialibus in op. *de nugis curialium* lib. VII. cap. 19. « Unde ergo nova et vetera proferunt, qui semper aequae nova et vetera contempserunt? » Cf. in *Bibl. max. patrum Lugdun.* 1677. tom. XXII. p. 538.

Atque in primis exploratum penes omnes est, duplicem in hoc sacramento dari materiam scilicet proximam et remotam; remotam item aut necessariam aut liberam esse. *Necessaria* materia sunt omnia peccata lethalia post baptismum patrata: materia vero *libera* peccata venialia aut etiam lethalia rite alias confessa. Haec materia remota sive necessaria sive libera est illa, ut loquuntur scholae, circa quam versatur sacramentum. Verum de hac nulla viget in scholis controversia. Ast non minima viget inter thomistas et scotistas relate ad materiam proximam ex qua constat sacramentum. Utriusque scholae theologi admittunt tres esse hujus sacramenti partes *contritionem, confessionem et satisfactionem*, quas partes, sive actus conc. Tridentinum *quasi materiam* hujus sacramenti esse dixit, quia nempe, ut exponit Estius (1), materia hujus sacramenti non est aliquid corporeum aut elementare cujusmodi sunt aqua, oleum, panis, etc. sed actiones, quae idecirco non ita proprie materia vocari possunt. Thomistae igitur contendunt praefatos hos tres actus esse *proprie dictam* materiam proximam ex qua conficitur sacramentum. Scotistae censent absolutionem a sacerdote poenitenti impertitam veram esse materiam proximam, quatenus est ritus sensibilis, et habere praeterea rationem formae quatenus significat effectum sacramenti. Maldonatus vocat sententiam vero thomistarum *communem*, sententiam vero scotistarum *veriorum* (2). Recte ne an secus hoc iudicium tulerit doctus hic auctor, nostrum non est pronuntiare, expendi poterunt rationum momenta apud utriusque scholae theologos.

Et haec de materia. Quod attinet ad formam, protestantes autumant eam non esse nisi declarativam remissionis peccatorum, non autem ejusdem effectivam, verum hos refellemus peculiari propositione. Ceterum omnes theologi in eo conveniunt, ut affirmant eam consistere in verbis illis, *ego te absolvo a peccatis tuis* (3). Praescindendo a positivo Ecclesiae praecocepto, perinde esse videtur quoad ejus substantiam eam sive oratione *indicativa*, sive *deprecativa* exprimeret. Exploratum enim est ex certissimis antiquitatis documentis per plura secula non aliam obtinuisse in Ecclesia latina nisi formam deprecatoriam, cui paucis an. ante s. Thomam successit forma *indicativa* (4), adhuc vero in Ecclesia graeca formam deprecatoriam obtinere certissime pariter constat ex eorum euchologiis apud Goarium et Arcudium, aliisque passim (5).

(1) In 4. D. 15. § 2. in resp. ad ult.

(2) In *Tract. de poenit.* p. 3. Thes. 7. ubi fuse de hoc argumento disserit.

(3) Dum dicimus formam in adductis verbis consistere, loquimur de substantia ipsa seu sensu. Nec enim contentinus singula verba ad essentiam pertinere. Sunt enim qui censent non pertinere ad essentiam vocem *ego*, alii verba subsequenta *a peccatis tuis*. De his consuli poterunt scholastici.

(4) Cf. opusculum XXII. s. Thomae cap. 8. ex quo id non obscure colligitur.

(5) Cf. Goar. in *Euchologio* pag. 676. Arcud. *de concordiis*, etc. lib. IV. cap. 5. Non pauci scholastici inter quos Suarez cum s. Thoma tom. IV. in 5. p. disp. 19. sect. 1. n. 23. praecipue vero Simonnet *instit. Theol.* I. m. tract.

Uti nonnulla de ministro delibemus, error protantum est, quemlibet fidelem clavium potestatem a Christo accepisse. Waldenses, wicleffitae et hussitae potestatem absolvendi tribuebant laicis probis, denegabant vero sacerdotibus praxim; flagellantes juxta Baluzium eodem errore detinebantur. Sub finem seculi elapsi nonnulli Ecclesiae perturbatores contendere ausi sunt tum approbationem episcopalem ad valide excipiendas confessiones non consistere in jurisdictione, sed in solo *capacitatis et idoneitatis* testimonio, tum confessarios omnes vi ordinis ab omni casu reservato sine licite, saltem valide absolvere posse (1). Pistorienses, ut par erat, illorum sententiam fecerunt suam, atque in hoc turpiter secum pugnant, siquidem jura, quae non solum dubia, sed prorsus episcopis indebita sunt iisdem impense alias concedunt, hic vero, quae sunt certissima ab ipsis praesulibus auferre totis viribus contendunt.

Hic igitur sive haereticis sive erroneis doctrinis sequentes propositiones opponimus, quibus huic tractatui finem facere constituimus.

PROPOSITIO I. — *Absolutio sacramentalis sacerdotis est actus judicialis et non nudum ministerium pronuntians et declarandi remissa esse peccata confitentis.*

De fide est his ipsis verbis definita a Tridentino sess. XIV. can. IX. *Si quis dixerit absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judiciale, sed nudum ministerium pronuntians et declarandi remissa esse peccata confitentis, modo tantum credat se esse absolutum... anath. sit.*

Ita vero ejus veritatem ostendimus: si in Ecclesia, uti ex hactenus disputatis constat, potestas residet dimittendi cujusvis generis peccata per poenitentiam sacramentum, consequens est absolventem sacerdotem vere reconciliare Deo peccatores judiciali auctoritate a Christo accepta. Sane Christus dum sacramentum poenitentiae instituit, dixit: *Quorum remisistis, etc.* non autem *quorum declaraveritis* peccata esse

15. de poen. disp. 8. contendunt essentialiam formam consistere in verbis indicativis, ita ut nulla prorsus ac irrita sit forma verbis deprecativis enuntiata. Simonnet praeterea negat unquam viguisse in Ecclesia latina formam deprecativam. Ast certo certius est nullum vestigium occurrere formae indicativae in Ecclesia latina ante an. 1200, nec aliam quam formam deprecativam obtinuisse et adhuc obtinere in Ecclesia graeca, ut evincunt omnia documenta quae affert Morinus de poenit. lib. VIII. cap. 8 et seqq. quibus nihil solidi opponit Simonnet, qui Morinum refellere aggressus est. Documentis a Morino adductis adjici debent quae postea protulit Martenius de antiq. Eccl. ritib. lib. I. p. 2. cap. 6. ar. 5. § 12. et art. 7. cum de facto agitur, monumentis decertandum est, non rationibus philosophicis.

(1) Ita docuerunt Aloysius Liuta in epist. *Della sacramentale assoluzione de' casi riservati*; Jo. Bapt. Guadagnini in op. *Nuovo esame di alcuni testi del concilio di Trento relativi all'assoluzione de' casi riservati, ed all'approvazione de' confessori*. Georg. Sicardi can. Eccles. ca. thed. Montisregalis in op. *Della validità delle assoluzioni dei peccati data in virtù del suo ordine sacerdotale, senza verun'altra facoltà ed approvazione*. Cornaro praepositus Villungi in Etruria in op. *De' parrochi libri sette*. Pavia, 1788. Quibus plures accesserunt auctores anonymi, quorum inutile est catalogum texere. Verum his omnibus praeverant in Gallis auctores opp. *Des pouvoirs légitimes du premier et au second ordre dans l'administration des sacrements et des gouvernements de l'Eglise. Dissertation sur les interdits arbitraires*. 1739.

remissa. Hinc quemadmodum non dicitur sanare vulnus, aut vincula solvere, qui alteri tantum denuntiat vulnus esse sanatum, aut vincula esse soluta, ita nec potest dici illum remittere peccata, qui tantum denuntiat ea esse remissa. In obvia porro, et nativa significatione vocem *remittere* usurpatam esse a Christo eruitur ex vers. immediate precedenti: *Sicut misit me Pater et ego mitto vos*. Pater vero misit Redemptorem ut vere peccata dimitteret, uti reipsa vere remisit paralytico, et mulieri peccatrici, quod etiam commonstrant querimoniae et murmur pharisaeorum: *Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?* Haec vero exostulationem non solum non correxit Christus, sed potius confirmavit, restituta per miraculum paralytico sanitate, dicens: *Quid est facilius dicere... Dimittuntur peccata tua, an dicere: surge et ambula?* Haec omnia praeterea confirmantur, ut paulo ante animadvertisimus, ex metaphora *clavium*; claves porro alicui traduntur non ut declaret ostia clausa aut aperta esse, sed ut ea reipsa aut aperiat, aut claudat (1), cum igitur Christus claves tradidit apostolis, significavit ipsis revera tribuere potestatem peccata aut remittendi aut retinendi, non autem solum declarandi illa esse aut remissa aut retenta.

Id ipsum conficitur ex auctoritate patrum quorum testimonia superius attulimus. Ex iis enim edocemur 1. Christum delere peccata, per poenitentiam ministerio sacerdotum; 2. sacerdotes sedere iudices in tribunali poenitentiae; 3. illorum sententiam coeli sententiam anteire; immunditiam ab anima procul arcere; solvere peccatorum vincula; sacerdotes praestare Angelis et Archangelis quibus haec potestas collata non est. Haec autem aliaque ejusmodi lusorie pronuntiarentur, si decretorium non esset, sed solum declaratorium sacerdotum iudicium (2). Controversia demum quae viguit inter catholicos atque montanistas et novatianos sec. II. et III. circa ecclesiae potestatem in remittendis peccatis evidenter id ipsum adstruit. Ridicula plane fuisset haec controversia si actum tantum esset de potestate *declarandi* peccata esse remissa vel non remissa.

DIFFICULTATES. Obj. 1. Vox *dimittere* aut *remittere* interdum denotat meram peccati relaxati declarationem, ut patet ex Luc. VII. 48, dum Christus dixit

(1) Mirum esse non debet si Christus utatur vocibus *solvendi* aut *ligandi* dum loquitur de clavibus, dummodo ratio habeatur usus serae quae obtinebat penes Hebraeos. Sera enim non erat nisi pessulus ligneus volubilis valvae portae affixus, qui ingrediebatur in foramen postis, et incisus quibusdam dentibus incidebat in rostrum; quare lorum, aut fortasse duo lora pessulo annexa, per foramen permeabant in exteriorem portae faciem, quorum altero attracto, pessulus serae in foramen postis promovebatur, et dentibus in illud rostrum incidebat, ut retrahi non posset. Aperiens habebat clavem ligneam satis magnam et instar falci aduncam, qua per foramen immissa, pessulum ex rostro sublevabat, et alteri lora subtrahabat, quod ut facilius perficeret attrahebat ad se portam clavem ex metallo confecta et nonnunquam ansa eburnea ornata auro monarchiae Hebraicae a dispensatore domus regiae, tanquam insigne sui muneris, in humero gestabatur. Is. XXII. 25. cf. *Jahn. Archaeol. biblica* § 57.

(2) Cf. Morin. de poenit. lib. VIII. c. 1. ubi luculentissimis testimoniis patrum, aliisque monumentis ex ecclesiastica historia petitis ostendit qui semper fuerit Ecclesiae sensus circa vim et efficaciam absolutionis sacerdotalis. Cf. etiam Sirmondi *Hist. poenit. public.* cap. 11.

mulieri peccatrici: *Remittuntur tibi peccata tua*: quæ jam remissa perhibentur v. 47. per ejusdem Christi verba: *Remittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multum*. 2. In hac porro significatione usurpari hanc vocem a Christo Jo. XX. constat ex voce *retinere*; dum enim sacerdotes peccata retinent, vel etiam ligant peccatores, declarantis officium agunt, ergo etiam dum peccata remittunt, aut solvunt peccatores, officium pariter declarantis complent. 3. Quod vel ex ipso iudicis ministerio quod catholici sacerdotibus tribuunt aperte colligitur: ministerium enim iudicium est pronuntiandi seu declarandi accusatum, num reus an insons iuxta legem sit. Affirmare propterea sacerdotes esse iudices et contendere illorum officium in alio consistere præterquam in nuda declaratione, est sibi contradicere (1). 4. Hoc magis adhuc apertum fit ex eo quod Christus cum dedit facultatem Apostolis remittendi aut retinendi peccata, non apposuerit distinctionem inter peccata et peccata, sed solum inter personas et personas, dicendo: *Quorum remisistis, quorum retinueritis peccata*, id est, distinxit inter *pœnitentes* et non *pœnitentes*; sacerdotum propterea munus est declarare quinam sint veri pœnitentes, aut quinam tales minime sint censendi (I. IV. *hist. c. Trid. n. 29*). 5. Sane non defuerunt scholastici qui docuerint Deum solum peccata condonare posse, sacerdotes vero per absolutionem tantum declarare publice vel privatim pro ratione datæ absolutionis, pœnitentem esse a Deo justificatum, et sacramentorum Ecclesiæ capacem (Apud Morinum loc. cit. cap. 2. n. 8). Ergo.

Resp. Ad 1. Tr. Ex adjunctis porro et contextu dignosci debet quando verbum *remittere* in significatione *declarandi* usurpetur. Negamus vero in adducto textu hac postrema significatione accipi hanc vocem. In utroque enim versiculo una eademque exprimitur remissio peccatorum; v. enim 47. Simoni ait Christus remitti peccata peccatrici, et v. 48. idem ipsi peccatrici confirmat.

Ad 2. Neg. Etenim sive sacerdotes absolutionem impertiant, sive non, in utroque casu vere solvunt aut ligant, remittunt aut retinent peccata. Contrarium siquidem eadem est ratio. Dum pœnitentes propria peccata sacerdoti confessi sunt, sacerdos ex eadem potestate iudiciali solvit aut ligat pœnitentem, retinet aut remittit peccata iuxta potestatem sibi a Christo collatam. In neutro autem casu declarantis officium exercet (2).

Ad 3. Dist. Iudices *meri*, ut vocant, munus habent *declarandi*, C. Iudices *mixti* beneficium aliquod principis exequentes, N. Duplex siquidem distinguendum est iudicium genus; alii enim rationes, quibus litigatores nituntur, simpliciter declarant; alii tanquam beneficium aliquod principis exequentes jus aliud conferunt, quod ante latam ab ipsis sententiam non

(1) Ita Paulus Sarpus lib. iv. *hist. conc. Trid. n. 29*, cum suo postillatore Courayerio in hunc loc.

(2) Cf. Petav. *de pœnit.* lib. 1. cap. 8. § 7. Maldonatus *de pœnit.* par. 3. *Thesi quinta* paulo aliter hanc solvit difficultatem.

extabat. Ii vero posteriores sunt iudices illi, quibus committitur ut cum causæ cognitione possint tanquam a principe delegati venias, relaxationes aliaque hujusemodi concedere. Primi vocantur *meri* executores, alii dicuntur *mixti* a jurisperitis. Ad hoc porro posterius iudicium genus spectant confessarii, quos, ut loquitur Tridentinum, Christus, suos vicarios tanquam iudices et præsidēs constituit (1).

Ad 4. Dist. Christus distinxit inter personas et personas in ordine ad peccata quibus illæ se obstrinxerunt, earumque dispositiones, C. Inter personas tantum, N. Hoc fatetur ipsemet Courayerius, dum affirmat quod in hypothesi de necessitate confessionis, ex Christi verbis sequitur peccata esse aperienda ut relaxari possint (2). Deinde Christus directe dixit: *Quæcumque ligaveritis, quæcumque solveritis*.

Ad 5. Tr. Res siquidem incerta est quo sensu unus aut alter scholasticorum id docuerit, quos tamen Richardus a s. Victore, qui illorum refert sententiam, confutat cum catholicis reliquis omnibus (3).

PROPOSITIO II. — *Soli sacerdotes sunt sacramenti pœnitentiæ ministri.*

Et hæc propositio dogmatica est; etenim Tridentinum sess. XIV. postquam cap. VI. declaravit *falsas esse, et a veritate Evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines præter episcopos et sacerdotes clavium ministerium perniciose extendunt*, can. X. definivit: *Si quis dixerit... non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christi fidelibus esse datum; quæcumque ligaveritis etc. Quorum remisistis etc., quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata, publica quidem per correptionem duntaxat, si correptus acieverit; secreta vero per spontaneam confessionem, anath. sit.*

Ad solos autem Apostolos eorumque in sacerdotio successores recitata verba pertinere, ideoque eos tantum præditos esse facultate remittendi et retinendi peccata, præter aperta Scripturarum testimonia perpetua Ecclesiæ praxis et unanims patrum consensus luculentissime ostendunt. Nam ritualia omnia latina, et græca euchologia, quæ modum describunt dandæ reconciliationis solos semper episcopos aut sacerdotes appellant (4). Hinc s. Ambrosius: *Ius hoc, inquit, solis permissum sacerdotibus est* (*De pœnit. lib. 1. cap. 2. n. 7.*); s. Basilius: *Peccata iis confiteri necesse est, quibus mysterium Dei concredita est dispensatio* (*Interrog. CCLXXXVIII. sup. cit.*). S. Leo: *Sic divinæ bonitatis præsidium ordinatis, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri* (*Epist. CVIII. cap. 1. ed. Ballerin*). Exinde colligebat s. Jo. Chrysostomus sacerdotes imperatoribus ac regibus præcellere. His omnibus præiverant Orige-

(1) Cf. card. Pallavicini *storia del conc. di Trento*, lib. xii. cap. 14. § 8.

(2) In not. ad num. 29. libri iv. *hist. conc. Trid.* Pauli Sarpus.

(3) Cf. Morin. op. et loc. cit. n. 8. quod attinet ad Magistrum sentent. cf. Maldonat. op. cit. 5. par. *Thesi quinta*. Circa mentem s. Bonaventuræ cf. Pallavic. loc. cit. cap. 12. § 6.

(4) Cf. AA. cit. Martenium, Renaudotium, Morinum, etc.

nes, Tertullianus, Cyprianus alique quorum testimonia superius protulimus, quin necesse sit pluribus ostendere veritatem quam omnium seculorum quotidiana praxis luculenter demonstrat.

Ad valorem porro absolutionis non officere sacerdotum pravitatem definit Tridentina synodus in eodem canone paulo ante adducto, cujus prima pars hæc est: *Si quis dixerit, sacerdotes qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi non habere... anath. sit.* Quod plenius constat ex iis, quæ suo loco adversus donatistas disputavimus (*Tract. de sacr. in gen. n. 125. et seqq.*).

DIFFICULTATES. I. *Obj. 1.* S. Jacobus loquens de sacramentali confessione ait: *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra* (1), nulla distinctione apposita inter sacerdotes et laicos. 2. Quare s. Augustinus: *In omnibus, inquit, Scripturis divinis utiliter ac salubriter admonetur ut peccata nostra debeamus jugiter et humiliter non solum Deo, sed etiam sanctis et Deum timentibus confiteri. Sic enim per Jacobum Apostolum nos admonet Spiritus S. dicens: Confitemini, etc.* (*Hom. XII*). 3. Sane baptismus in necessitatis saltem casu ab omnibus promiscue administrari potest; ergo et absolutio.

Resp. ad 1. Tr. Etenim, ut vidimus, non pauci interpretes et Theologi negant in adducto testimonio agi de confessione sacramentali, contendentes sermonem ibidem haberi de humili quadam anteactæ vitæ confessione qua quis se peccasse profitetur, ut alios ad orandum pro se excitet. Verum et hoc dato, negamus hic Apostolum de confessione omnibus promiscue faciendâ disserere; de sola enim loquitur confessione faciendâ Ecclesiæ presbyteris quos vocandos esse dixerat ad inungendos infirmos. Quos patet ex particula *ergo* qua hunc versiculum connectit cum vers. immediate præcedenti scribens: *Confitemini ergo etc.* Patres omnes qui exponunt Jacobi verba de confessione sacramentali ad solos presbyteros ea referunt (2). Usus denique eorum sensum determinavit.

Ad 2. Neg. Nec enim sermo ex quo illa verba adducta sunt, genuinus fœtus est s. Augustini (3). Hujus præterea sermonis auctor loquitur de confessione cæremoniali de qua mox dicemus.

Ad 3. Neg. paritatem inter utrumque sacramentum, quia uti ostendimus, Christus aliter de collatione illorum sacramentorum statuit. Hoc porro pendet a libera Christi voluntate.

II. *Obj. 1.* Ex certissimis documentis a Morino collectis constat in necessitatis casu etiam diaconis datam fuisse facultatem excipiendi delicti exomologesim, ut loquitur s. Cyprianus, manum imponendi ad pœnitentiam, et dandi pacem (*Epist. XII*). Sic etiam statuerunt concilia Iliberitanum et Triburiense in Germania Eboracense et Londinense in Anglia: Odo

(1) Cap. v. 16. *Ἐπομολογήσατε (ὁν) ἀλλήλους τὰ παραπτώματα, seu ut habent aliæ lectt. τὰς ἀμαρτίας.*

(2) Cf. apud Morin. op. cit. lib. viii. cap. 8. n. 4.

(3) Cf. opp. s. August. edit. Maur. tom. v. in append. serm. CCLIII.

episcopus Parisiensis in Gallia; imo Petrus Cantor, non solum diaconos, sed et subdiaconos docet posse *Ligare auctoritate Domini Papæ, non sua* (Apud Morinum op. cit. lib. VIII. cap. 25). Quæ omnia confirmantur ex jure canonico cap. *Fures. Extra, de furtis*, ubi legitur, quod si fures *comprehensi aut vulnerati presbytero vel diacono confessi fuerint, communionem non negamus* (*Ibid.*). In quem locum glossa adjicit: *In necessitate, etiam laico*. Innumera pariter suppetunt monumenta apud Martenium et Mabillonium de confessione tum diaconis et clericis inferioribus, tum laicis ipsis facta (1). 2. Imo constat passim abbatissas suarum subditarum confessiones excepisse, quibus per manus impositionem, id est, per veram sacramentalem absolutionem peccata remittebant, ut ostendunt auctores citati (Apud Marten. l. c. § 9). Ergo.

Resp. Dist. Excipiebant diaconi exomologesim cæremonialem, et conciliabant pœnitentes in foro externo, C. sacramentalem et in foro interno, N. Ita ipsa Morinus in *Recognitione operis sui de pœnitentia* (2). Nec aliud certe evincunt quæ proferuntur documenta, quam pœnitentes in absentia episcopi vel sacerdotis reconciliatos cum Ecclesia fuisse a diaconis per absolutionem ab illa pœnitentiæ canonice parte quam adhuc persolvere debebant. Interdum vero in sacerdotis absentia diaconi, clerici inferiores, aut laici etiam excipiebant confessiones illas spontaneas et cæremoniales, quas passim subsequentibus seculis faciebant animam agentes coram ipsis ad majorem peccatorum dolorem concipiendum, et ut adjuti Ecclesiæ precibus veniam a Deo facilius impetrarent. Hanc confessionem s. Thomas vocat *quodammodo sacramentalem* (*In suppl. q. 8. a. 2 ab 1*), quæ juxta scholasticos una cum contritione virtutem sacramenti habebat (3). Inducti autem potissimum sunt ad hanc amplectendam sententiam ab auctoritate libri *De vera et falsa pœnitentia* olim s. Augustino adscripti. In hujus enim libri cap. X. inter cetera hæc leguntur: *Tanta vis confessionis est, ut si deest sacerdos, confi-*

(1) Marten. *de antiq. eccl. rit.* lib. 1. cap. 6. art. 6. § 7. et seqq. Mabillon in *Actis ss. Ord. s. Benedicti*.

(2) Cf. edit. Antwerp. 1682. ubi ita scribit pag. 3. « Quæ de absolutione a diaconis, atque etiam a laicis data plurimis testimoniis historice referuntur cap. 25. et 24. libri viii. expressissime moneo initio cap. 25. et in fine 25. ubi historia rei finitur, ista non esse intelligenda, nec intelligi posse de absolutione sacramentali, cujus effecti rationes locis annotatis explicantur; imo plurimos ex ipsis auctoribus qui hanc sui seculi consuetudinem testantur discrete asserere, nullam prorsus illis esse a peccatis absolvendi potestatem. Itaque non potest aliud esse absolutio illa, quam cæremonia, sive sacramentale aliquid a quibusdam Ecclesiis, in absentia veri sacramenti... quo morientis aut gravissime periclitantis interior dispositio excitabatur et incalescebat, atque a Deo precibus Ecclesiæ sacramenti effectum pœnitens promerebatur... Cf. card. de Aguirre *collect. maxim. conc. Hisp.* t. 1. in can. 77. conc. Iliber. *Albaspinæum de veteribus Eccl. rit. observat.* lib. ii. observ. 27. Petavium tum in animadv. in s. Epiph. ad Hæres. 59. et in append. ad easd. animadv. cap. 2. tum in *Diatriba de pœnit.* cap. 2. ad calc. secund. edit. Synesi.

(3) Cf. Bened. XIV. *de synodo* lib. vii. cap. 14. § 9. et seqq. Ex hac porro consuetudine confitendi laico, absente legitimo ministro, quæ antiquitus obtinuit, novum argumentum erui potest adversus protestantes, quod sententia de absoluta necessitate confessionis fidelium omnium aui-mos pervaserit longe ante celebrationem concilii Lateran. i.